Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 863
Quelle:
Copyright:



jecta hic Percensio ad edit. *Vallarsianam* exacta docet. *Fol.* 35. p. 2. Epistola CX. *Aug. ad Hier.* capite trunca est, ab iis verbis incipiens: *Cur itaque conor contra fluminis tractum* &c. *Fol.* 140. Exhortatio quaedam ad persistendum in bono, quae incipit: *Ad te manum meam extendo, quem sentio dei tenere vexillum* &c. quamque in *Hieronymo* non reperio. Cum vero antecedat, et dictione imitetur Epistolam sic dictam: *De homine penitente adhuc in seculo manente*, quam *Vallarsius*, ut spuriam, in T. XI. *col.* 230. rejecit, eundem utriusque autorem ignotum arbitror. *Fol.* 153. *Epistola* sive *Sermo de Assumptione B. V.* hoc initio: *Cogitis me, o Paula et Eustochium* &c. relegata ad T. XI. *col.* 92. *Fol.* 163. p. 2. *Epistola de officiis Ecclesiasticis*, quae incipit: *Sufficere quidem arbitror fidei tue conversacionem* &c. eodem relegata *col.* 114. *Fol.* 172. insertus est *Liber contra Helvidium: Nuper rogatus a fratribus* &c. qui in edit. habetur T. II. *col.* 205. *Fol.* 187. p. 2. *Symbolum ad Damasum: Credimus in vnum deum patrem omnipotentem* &c. retrusum in T. XI. *col.* 145. Reliqua omnia sincera sunt, et leguntur, quanquam non absque aliqua dictionis discrepantia, in edit. *suprac.* T. I.

II. *fol.* 204. p. 2. sequitur Opusculum, quod in Indice *Codici* subnexo inscribitur: *Augustinus ad Militem*, a *Maurianis* vero inter *Augustino* subposita T. VI. *append. col.* 193. *Liber exhortatorius vulgo de salutaribus Documentis ad quemdam Comitem*, cujus initium est: *Frater si cupias scire quamvis ego nesciam* &c. Codex *Colbertinus*, quem *ibid.* excitant, illud *Paulino Forojuliensi* adtribuit.

III. *fol.* 223. *Sermo* anonymus, qui incipit: *Desiderium caritatis vestre a nobis exigit* &c. Juvenis Senibus commendat quadruplicem caritatem, quae omnia *tolerat*, omnia *credit*, omnia *sperat*, omnia *sustinet*. Ultima: *ut eadem ipsa caritas fructum in vobis operis inveniat non folia laudis Amen.* Autorem frustra indagavi.

IV. *fol.* 226. p. 2. *Sermo* alter Anonymus hoc initio: *Quoniam karissimi in via huius vite fugitivi sumus* &c. Ad Monachos habitum fuisse sequentia suadent: *velox ad mensam et tardus ad ecclesiam, potens ad potandum sed eger ad cantandum, peruigil ad fabulas, sompnolentus ad vigilias, procax ad loquendum mutus ad psallendum.* Item: *Hec sunt que monachum faciunt demoniacum, conuersum peruersum, Clericum hereticum, Christianum antichristum* &c.

CCXLIX. VI. D. 8.

Codex chartaceus lat. Sec. 218
XV. Folior. nunc 202. f. deperiit enim post *fol.* 157. aliquid, ut infra dicetur, per duas columnas probe exaratus continet praemisso Indice: I. Epistolas *Hieronymi* et quorundam *Aliorum* ad

*Hie-*